

DE IMPOTENTIA MULIERIS EX VAGINISMO ORTA DICTAMEN

SPECIES FACTI

Pia, annos nata viginti et unum, Alexandro, vigesimum quintum annum agenti, die 15 aprilis 1923 in paroeciali ecclesia S. Antonii foedere matrimoniali sese devinxit.

Inde a pueritia conjuges conversatione familiari amicitiaque utebantur. Nihilominus Alexandrus nec laetus nec sponte sed potius invitus et morem gerens adhortationibus parentum, duxit Piam, quae amore erga eum flagrabat.

Haud feliciter cessit matrimonialis vita. Nam defectui amoris mariti erga uxorem adjectus est, uti contenditur, infaustus exitus tentaminum consummandi matrimonium ob dolores, quos experiebatur uxor in conatibus actus matrimonialis. Tentaminibus aliquoties frustra, ut edicitur, iteratis, separationem tori instauraverunt et vir taedio ac moerore captus uxorem desserere coepit.

Separatio vitae integra, anno 1927, a Tribunali civili sancita est. Itemque vir Tribunali ecclesiastico libellum porrexit expetens declarationem nullitatis sui matrimonii cum Pia ex capite vis et metus. Prolata sententia actoris votis adversa, ultra per hanc viam non est progressum.

Uxor autem, die 3 junii 1939, nullitatis declarationem ejusdem matrimonii ex capite impotentiae ipsius ob vaginismum a Tribunali ecclesiastico expoposcit, sententiam sibi faventem adipiscens. Appellante Vinculi Defensore, causa pervenit ad Tribunal X. X., quod priorem sententiam confirmavit, statuens constare de nullitate matrimonii ob mulieris impotentia, addita tamen clausula: "cui (mulieri) ideo prohibetur omnino transitus ad alias nuptias".

Facta sententia executiva, ut legimus in nota Cancellariae supra memorati Tribunalis: "cum sit alterius sententiae confirmatoria, cumque adversus eam Vinculi Defensor non appellaverit, ad tramitem can. 1987 "Cod. Juris canonici" actrix a Sacra Congregatione de Disciplina Sacramentorum expostulavit ut sibi liceret matrimonium inire "con persona che

l'avrebbe presa in moglie come compagna o sorella" (1). Denegata licentia, Pia ginecologum Renatum adivit, qui interventu chirurgico eam actibus matrimonialibus idoneam reddidisse testatur ideoque iterum ab eadem Sacra Congregatione expetivit, ut sibi liceret convolare ad alias nuptias.

His auditis, Vinculi Defensor Tribunalis X. X. ad tenorem cann. 1903 et 1989 appellationem interposuit coram Sacrae Romanae Rotae Tribunali. Definienda igitur venit quaestio sub concordato dubio: *An constet de matrimonii nullitate, in casu.*

IN JURE

2. Contractu matrimoniali traditur et accipitur ab utraque parte jus in corpus ad actus per se aptos ad prolis generationem (c. 1081). Vinculum igitur conjugale minime importat jus vel obligationem ad generandum vel foecundandum, sed ad actum praestandum, qui natura sua ad foecundationem ordinatur i. e. ad copulam carnalem perficiendam. Jamvero copula carnalis duobus elementis constituitur: a) penetratione membri virils in vaginam muliebrem; et b) effusione intra eandem veri seminis, naturali modo facta.

Proinde ex parte mulieris requiritur tantum vagina, quae recipere possit membrum virile et receptum tolerare usque ad seminationem in ea; haud autem requiritur membrorum applicatio ita plena ut veretri longitudo omnino aequet vaginae profunditatem, sed satis est ut membrum virile ostium vaginae praetergrediatur et tantum in vaginam intrudatur, quantum oportet, ut seminatio, saltem partialis, non ad ostium sed intra eam, quamvis *prope ostium*, habeatur, ut doctrina et jurisprudentia nunc una voce tenent. En ea quae asserit Sacra Romana Rota coram Staffa in una *Nullitatis Matrimonii* (9-VII-1948): "Quia tamen ad matrimonium consummandum sufficit ut vir aliquo saltem modo vaginam ingrediatur et in ea saltem partialiter virile semen effundat... saepimento in vaginā existente aut alio obstaculo quocumque penetrationem completam impediēte, mulier impotens non efficitur". Quae hoc pacto eadem Sacra Romana Rota in una *Nullitatis matrimonii* coram Wynen (18-XII-1948) confirmat: "Juxta recentiore declarationem S. Officii diei 12 februarii 1941 ad consummationem matrimonii ideoque ad constituendam potentiam sufficit, quod "vir aliquo modo, etsi imperfecte, vaginam penetret atque im-

(1) "... cum persona, quae eam duxisset in matrimonio ut sociam aut sororem."

mediate in ea seminationem saltem partialem naturali modo peragat". Unde sequitur aliquod obstaculum, si quod in vagina existat, penetrationem usque ad fundum impediens, non secumferre impotentiam mulieris... Pariter mulier nequit dici impotens, si vir quidem usque in fundum vaginae penetrare nequit ob magnos dolores mulieri oboriundos, sed incomplete sufficienter penetrare valet et simul seminare. Esto quod aliquae sententiae, ante publicatam sententiam diei 7 februarii 1927 coram Jullien, approbatam a S. T. Signaturae Apostolicae et praesertim ante promulgatum decretum S. Officii a. 1941, *putantes penetrationem incompletam non sufficere* ad consummandum matrimonium et ad ostendendam potentiam, contrariam tulerunt sententiam: *hodie e contrario Tribunalia talem doctrinam jam non possunt acceptare et iuxta eam judicare*".

3. Nec copulae perfectae in ordine ad nullum reddendum matrimonium nocent dolores et difficultates, quae in matrimonio consummando possunt experiri, ut in verbis supra relatis innuitur ac ampliore calamo Sacra Romana Rota coram Staffa (9-VII-1948) edicit hoc pacto: "Sedulo impotentia, seu impossibilitas matrimonium consummandi, a difficultate etiam gravi distinguenda est. Impotentia coeundi, quae non est vera impotentia, *sed maxima difficultas, non dirimit matrimonium, ut si potest esse vera commixtio, sed cum maxima difficultate et periculo aegritudinis*. Haec conclusio est certissima... Verba proinde a Patrono actoris allata: "*si tantum per violentos inhumanosque conatus.. foret continenter obtinenda penetratio et copula a muliere, non potest dici innaturali hac ratione haberi vera (matrimonii) consummatio*", *tuto nequeunt admitti* quatenus sensum habeant discordem a praevalenti canonistarum doctrina".

Immo, prae oculis habitis supra relatis et praesertim responsione *negativa* S. C. S. Officii, die 2 februarii 1949, ad dubium: "*An matrimonium haberi debeat inconsummatum si essentialia copulae elementa posita sint a conjuge, qui ad unionem sexualem non pervenit, nisi adhibitis mediis aphrodisiacis, rationis usum intercipientibus*", auderem dicere impotentiam non adesse, quamvis difficultas tanta sit, ut tantum evenire possit penetratio cum una ex partibus aliqua ex causa, v. gr., ex doloribus in conatibus expertis non sit jam amplius compos sui, dummodo non adsit grave vitae periculum. Nam:

1) in supra relatis et expositis tantum exigitur ad potentem quem declarandum ut penetratio verificari possit *absque vitae periculo* et unica limitatio, quae apponitur difficultati expertae in matrimonio consummando *est exclusio vitae discriminis*;

2) quamvis in responsione S. Officii expressis et explicitis verbis loquitur de rationis usu intercepto mediis aphrodisiacis, idem dicendum videtur, si haec amissio usus rationis evenerit alia ex causa, v. gr., vi adhibita in conatibus. S. Officium enim dicendum instare voluisse in eo quod adoperatio mediorum, usum rationis intercipientium, non obstare consummationi matrimonii, dummodo elementa essentialia posita sint; aliter, non requiri ad consummationem ut actus conjugalís ponatur, cum conjuges sunt compotes sui et verba *naturali modo*, quae adhibentur in definitione copulae matrimonium consummandi validae, referri ad seminis ejaculationem, ut exciudatur immissio seminis artificialis. Fundamenta hujus interpretationis haec innuerem: a) in casu, qui ansam praebuit responsioni S. Officii, agebatur de usu rationis intercepto mediis aphrodisiacis ideoque S. Officium explicitis ac expressis verbis de his loquitur, quin autem excludat alia media; b) excutebatur utrum considerari poterit copula *naturali modo* peracta illa ad quam pervenire tantum potuit conjux sumendo medicinam non in quantitate ordinaria sed in *tam extraordinaria* ut usum rationis amitteret et *tantum*, medicina in hac *extraordinaria* quantitate sumpta, poterat adesse penetratio; c) praeterea doctrina tenet: "Ad consummationem *requiritur* penetratio vaginae et seminis virilis immissio intra vas mulieris; id etiam *sufficit*... Ad consummationem non refert quod *coacta* fuerit copula vel inconscienter... (DE SMET, *De Sponsalibus et Matrimonio* (ed. 4), pag. 133-134) et independentem esse consummationem a *modo* quo peragitur, dummodo elementa essentialia praestentur (Cfr. F. HÜRTH, "Periodica de re morali, canonica, liturgica", 38 (1949), pag. 224), ita ut *naturali modo* in definitione veniat ad excludendam immissionem *artificialem* (Cfr. WERNZ, *Jus can.*, V, *De matrimonio*, n. 231, (ed. Romae, 1925), pag. 267).

3) Ille est capax ex capite potentiae ad validum matrimonium contrahendum qui est capax consummandi matrimonium. Jamvero a S. Officio aestimatus est capax consummandi matrimonium ille conjux, qui actum conjugalem posuit non compotem sui ob media usum rationis intercipientia adhibita ad illum complendum; de facto enim ad posse valet illatio et de facto consummasse matrimonium mediante actu in illis conditionibus posito admisit S. Officium. Nunc age; tantum est capax ad validum matrimonium contrahendum pars potentia praedita. Liquet igitur impotentem non dicendum conjugem, qui experitur tantam difficultatem in conatibus matrimonium consummandi ut penetrationem admittere nequeat nisi non compotem sui.

4. Ad hoc autem ut matrimonium irritet impotentia necesse est ut sit antecedens et perpetua.

Antecedens dicenda non est, si tempore contractus mulier copulam admittere potest, quamvis jam morbo laboret, quo postea incapax evasura est. Nec irritum est matrimonium ex impotentia antecedenti, si tempore contractus capax copulae fuerit, sed ob violentias a viro patratas in priore tentamine consummationis aliasve causas infirmitate nervorum affecta est atque inde incapax evasit.

5. Perpetua nequit dici incapacitas ad copulam, quae, adhibitis opportunis remediis, "praeter divinum miraculum —ut tradit Innocentius III in cap. VI, X, tit. XV, *De frigidis et malef.*, et impotentia coeundi— per opus humanum *absque corporali periculo* potuit removeri". Quem textum hoc pacto illustrat cl. mus Gasparri: "Quaestio tantum est inter DD. utrum *hoc corporale periculum* indicet tantum periculum mortis, an etiam *gravis morbi*. In genere morbus *gravis* dicitur ille qui aliquod vitae discrimen infert: quo casu nullus controversiae locus est. Quod si morbus dicatur *gravis* tantummodo, quia citra omne periculum vitae, gravem et longam molestiam et dolorem affert, impotentia videtur potius temporanea; nam Innocentius III, l. c., *periculum corporale* deinde dicit *periculum mortis*" (*De matrimonio*, t. I, n. 542, 2.º, pag. 331, ed. Romae, 1932).

Cum auctores in diversas abeant sententias, ut innuitur in textu supra relato cl. mi Gasparri (Cfr. quoque CORONATA, *Institutiones juris canonici*, vol. III, *De matrimonio*, n. 306 (ed. Romae, 1946), pag. 386 cum nota 5 ejusdem paginae) ideoque nequeamus eorum studio navando certo certius concludi ad declarandam impotentiam perpetuam requiri ut agatur de defectu, qui *absque vitae periculo* sive hoc periculum immediate ex interventu medico oriatur sive immediate ex illo surgat morbus, qui secumfert vitae discrimen, operis pretium videtur quid teneat jurisprudentia S. Romanae Rotae excutere.

6. Ab anno 1909 usque ad annum 1942 tantum tres sententias inveni, in quibus loquitur de gravi damno salutis vel adhibetur loquutio aequipollens. En verba quibus utuntur hae sententiae: "... perpetua, seu naturalibus mediis licitis et absque gravi vitae periculo, vel absque gravi damno salutis auferri nequit" (24 (1931), 53 coram Quattroccolo, 495, 3). "...insanabilis quatenus absque gravi vitae periculo vel sanitatis detrimento auferri nequit" (33 (1941), 1 coram Quattroccolo, 3, 5). "... perpetua,

id est, insanabilis per remedia utique licita, quae nec vitae nec valetudinis discrimen secumferunt” (33 (1941), 83, coram Grazioli, 898, 5) (2).

Prima fronte videtur his in sententiis teneri sufficere ut agatur de defectu, qui auferri nequeat absque gravi morbo seu gravi damno salutis *citra omne periculum vitae* tum immediatum tum mediatum ad declarandam impotentiam perpetuam. Juvat tamen haec animadvertere: a) nullam ex his sententiis agere de casu, in quo directe et principaliter quaestio versetur de impotentia, quae tolli possit ope interventus chirurgici, quae secumferat periculum vitae vel salutis, ita ut exitus faustus vel infaustus sententiae ab hac quaestione pendeat sed potius illa dicta esse per transennam; b) expressiones supra relatas, scil. “absque gravi damno salutis”, “absque gravi detrimento sanitatis”, “nec valetudinis discrimen” significare gravem morbum, qui secumfert periculum vitae, i. e., significare periculum mediatum vitae. Nam, ut ait cl. mus Gasparri in textu supra relato, in genere morbus gravis vel damnum grave salutis, etc., ex eo dicuntur quod secumferunt aliquod vitae discrimen. Praeterea, iudices haec asserentes noverant Sacram Romanam Rotam semper locutam esse de gravi periculo vitae ideoque, si ipsi ab hac jurisprudentia sese arcere intendissent ac novam statuere ampliore calamo disquisitionem statuissent. Denique ipsi iudices antea posteaque exigunt in aliis sententiis *periculum vitae* ad impotentiam perpetuam declarandam. Quod quidem absque ullo dubio apparet in una ex sententiis supra relatis ex eo quod et in *facto* ad probandam perpetuitatem instat sententia in eo quod: “il vaginismo presentato della peritanda potrebbe essere superato chirurgicamente *senza pericolo di essa*” (33 (1941), I coram Quattrocolo, 5, 10) et iidem iudices, sc. Quattrocolo, Wynen, Heard in una *Nullitatis matrimonii* (32, 3, 25, 3) expresse dicunt: “perpetua... seu insanabilis licitis adhibitis mediis et *remoto vitae periculo*”.

7. Dato tamen sed non concesso quod in duabus aliis sententiis expressiones: “detrimentum sanitatis... discrimen valetudinis” adhiberi ad significandum sufficere ad perpetuitatem impotentiae quod nequeat tolli quin causetur molestia vel morbus gravis *citra omne periculum vitae*, tamen duae sententiae discordantes non possunt mutare jurisprudentiam S. Romanae Rotae et constituere novam, cum illa tum antea tum postea

(2) La primera cifra indica el volumen de las decisiones rotales; la cifra entre paréntesis, el año; la siguiente cifra, el número de la decisión; la otra, la página del volumen de las decisiones rotales, y la última, el número marginal. Seguiremos este método de citar a lo largo de todo el trabajo.

ad perpetuam declarandam impotentiam exigat ut agatur de defectu qui tolli nequit *absque discrimine vitae*.

Nam fere omnes sententiae ab anno 1909 usque ad annum 1942 *explicitis ac expressis* verbis edicunt requiri periculum vitae ad declarandam perpetuam impotentiam (3).

8. Atque animadvertendum est in pluribus ex his sententiis agitur utrum requiratur defectus, qui tollit nequeat absque periculo vitae ad declarandam impotentiam perpetuam *non per transennam sed ampliore calamo ac ex professo*, ita ut cardo sententiae in hac quaestione sit ac exitus favorabilis vel adversus ejusdem a solutione hujus quaestionis pendeat. En ea quae legimus in una coram Sebastianelli: "(Requiritur impotentia) perpetua qualis est ea, quae praeter miraculum per opus humanum licitum sine corporali periculo removeri non possit. Corporale periculum est periculum vitae, ita ut validum sit matrimonium, quod cum foemina arcta initur, si arctitudo illius per incisionem *sine vitae periculo, licet non sine gravi dolore et corporis incommodo, morbive non laethalis periculo*, tolli possit..." (9, 4, 31-32, 2). Et agitur de casu, in quo cardo quaestionis stat in eo quod operatio subeunda ab uxore secumferat periculum vitae necne, ita ut quaeratur a medicis: "Si può escludere nel caso l'efficacia di una operazione chirurgica ginecologica, che, senza mettere *in pericolo la vita*, si fosse proposta di dilatare la vagina? In altri termini: il difetto della vagina non era modificabile in meglio, neppure con l'intervento chirurgico, *salvo il pericolo di vita?*" (ib., pag. 36, 8) (4). Atque cum agatur de casu, in quo: "ogni atto operativo diventa *pericoloso per la vita* della donna" concludit S. Romana Rota: "Impotentia in casu dici debet perpetua seu insanabilis sive remediis medicinalibus ordinariis sive etiam manu chirurgica citra periculum vitae" (ib., pags. 36-37, 8).

Alia decisio, in qua ampliore calamo et ex professo agitur quaestio, quae nunc nostra interest, invenitur in vol. 23 Decisionum S. Romanae

(3) Cfr. 1 (1909), 16 coram Persiani, 140, 14; 2 (1910), 27 coram Prior, 280, 7; 3 (1911), 31 coram Sebastianelli, 341-342, 2, 6; 5 (1913), 31 coram Mori, 363, 10; 9 (1917), 4 coram Sebastianelli, 31-32, 2; ib., 36-37, 8, 12 (1920), 10 coram Rossetti, 75-76, 11; 14 (1922), 30 coram Solteri, 281, 11; 18 (1926), 11 coram Massimi, 79, 7; 19 (1927), 30 coram Grazioli, 241, 5; 22 (1929), 37 coram Grazioli, 415, 12; ib., 420-421; 23 (1930), 17 coram Morano, 133, 3; ib., 136, 9; 23 (1930), 36 coram Guglielmi, 307, 3; 25 (1932), 24 coram Jullien, 206, 2; 25 (1932), 30 coram Parrillo, 261, 8; 26 (1933), 29 coram Massimi, 272, 2; 26 (1933), 81 coram Quattroccolo, 694-695, 8; 27 (1934), 5 coram Mannucci, 42, 2; 28 (1935), 78 coram Heard, 744, 2; 29 (1937), 5 coram Quattroccolo, 31, 4; 29 (1937), 23 coram Grazioli, 253, 7; 29 (1937), 31 coram Grazioli, 321, 2; 29 (1937), 41 coram Jullien, 403, 2; 29 (1937), 75 coram Heard, 744, 4; ib., 749, 11; 30 (1938), 5 coram Grazioli, 51, 6; 30 (1938), 60 coram Wynen, 544, 2; 30, (1938), 64 coram Heard, 578, 2; 31 (1939), 33 coram Quattroccolo, 303, 2; 32 (1940), 3 coram Quattroccolo, 25, 3; 33 (1941), 57 coram Jullien, 612, 2.

(4) "In casu excludi potest efficacia operationis chirurgicae ginecologicae, quae, *absque vitae periculo*, tentaret vaginae dilatationem?, aliter: defectus vaginae meliorari impossibile erat, vel interventu chirurgico, *excepto vitae periculo?*"

Rotae. Agitur de casu, in quo matrimonium declaratum est nullum ob viri impotentiam. Postea tamen interventu quirurgico vir potens factus est. Re delata ad S. Romanam Rotam, haec *in jure* statuit: "Perpetua autem dicitur impotentia, quae removeri non possit mediis naturalibus licitis et *absque gravi vitae periculo*. Ideo perpetua non est, sed temporanea, impotentia, quae removeri possit mediis naturalibus licitis et *absque gravi vitae periculo*, e contra perpetua dicenda est impotentia, quae vel nullo modo removeri possit vel removeri possit tantummodo mediis non naturalibus aut non licitis aut *vitae valde periculosis*" et *in facto*: "Sed patet etiam hunc impotentiae regressum obtentum fuisse modis naturalibus licitis *nullumque grave vitae periculum* secum ferentibus... Verum in ea chirurgica operatione, quae fuit hujus regressus causa, non habes nisi medium naturale et licitum. Sed neque dubitandum est ipsam operationem nullum *grave vitae periculum* secum ferre, quod expresse asserunt periti Joannes et Paulus. At si probabilis illae impotentiae cessatio obtenta fuit mediis naturalibus atque licitis *nullumque grave vitae periculum* secum ferentibus, patet perpetuitatem impotentiae in praecedentibus judiciis assertam recte in dubium revocari et ideo sententiam rotalem diei 29 julii 1920 esse infirmendam" (ib., pag. 136, 9).

Omissis aliis casibus (5), quos invenire poteris in supra memoratis decisionibus, concludere possumus Sacram Romanam Rotam, non tantum fere semper explicitis verbis requirere ut agatur de defectu, qui sanari nequeat absque vitae discrimine, sed *semper* ac agit de hac quaestione ampliore sermone et ex professo hoc pacto loqui.

9. Sed quis nostris assertis calculum adjicere posset ex eo quod quandoque Sacra Romana Rota ad declarandam impotentiam perpetuam sufficere tenet ut removeri nequeat illa absque *periculo corporali*, cum hac loquutione, ut ipsi contendunt, Sacra Romana Rota significare velit gravem morbum citra omne periculum vitae. Sed e contra Sacram Romanam Rotam hac loquutione significare periculum vitae luce meridiana clarius

"Ideo illius corpus incidi non potest per incisionem adeo gravem in partibus genitalibus *absque gravi et prudenti vitae periculo*" (1 [1909], 16, 140, 14). "Quaenam autem impotentia sit ad tempus declarat idem Pontifex (Innocentius III) in cit. cap. 6, videlicet impotentia illa est ad tempus, quae per opus humanum licitum, v. gr., per incisionem chirurgicam removeri potest, modo tamen haec incisio non inducat *periculum mortis*; impotentia vero perpetua est illa, quae per opus humanum licitum omnino removeri nequit, aut non nisi *cum periculo mortis*" (3 [1912], 31 coram Sebastianelli, 341-342, 2). "In hac rerum incertitudine, Judex mediam viam sectatus, tenuit viri impotentiam esse perpetuam, sed tantummodo relative ad suam uxorem, quatenus virginem; in quo quidem graviter erravit, juxta ea quae in parte juris explicavimus, cum hujusmodi impotentia dici nequeat perpetua relate ad mulierem, quae absque ullo vitae periculo aperiri et apta reddi potest" (25 [1932], 30 coram Parrillo, 261, 8). Ex quibus satis apparet Rotam Romanam, cum agit ampliore calamo de hac quaestione, exigere ut sit vitium, quod removeri nequeat absque vitae periculo.

apparet. Nam praeterquamquod hic sit sensus loquutionis in Innocentio III, ut tenet cl. mus Gasparri in supra relato textu, hanc esse significationem hujus loquutionis statuit Sacra Romana Rota in decisione supra trascripta coram Sebastianelli. Praeterea in decisione 81 anni 1933 coram Quattrococo, in qua *in jure* edicit: “perpetua ea sit, seu modo licito tolli et *absque corporis periculo* nequeat”, deinde *in facto* haec scribit: “At infitiandum omnino est agi in casu de defectu, qui insanabilis sit atque perpetuus. Testatus est enim doctor Sejus... operatione chirurgica curari eam posse... Hanc autem operationem gravem haud esse, sed fieri posse absque mulieris *vitae periculo* affirmavit deinceps peritus, animadvertens: “L’operazione consigliata dal dottor Seio non é pericolosa per la vita della signora.” Hinc etiamsi res esset de defectu genitalium in muliere cum constet de ejus sanabilitate *absque ullo vitae periculo*, hoc etiam in casu sermo. esse nequit de coeundi conventae impotentia, quippe perpetuitate carente; probe perpendendo quod *ne magnum quidem incommodum, ex chirurgica gravi operatione* proveniens, rationem sufficientem constituit, ut *citra vitae discrimen*, impotentia perpetua aestimetur” (ib., pag. 694-695, 8).

Idem dicendum de decisionibus (12, 10, 72, 4 et 13, 12, 117, 6) coram Rossetti, in quibus *in jure* utitur loquutione “absque corporali periculo” sed *in facto* exigitur discrimen vitae ad declarandam impotentiam perpetuam. En ea quae legimus in priore ex his sententiis: “Sed non aequae constat, impotentiam in casu esse talem, quae adhibito remedio licito, et *sine vitae periculo* tolli non possit” (pag. 75, 11). Ac prosequitur: “Vicarius Apostolicus —cui Rota in casu consuluit— (declaravit): “Fateor me nescire, an impotentia, qua laborat Maria, a peritis in Europa, per media naturalia *sine vitae periculo* tolli possit”, quamvis retinuerit, hoc in locis ubi commoratur, *esse fere impossibile*. Quare Domini tenuerunt impotentiam in casu veluti perpetuo duraturam non posse retineri ad effectum declarandae matrimonii nullitatis, quamvis factum impotentiae non possit impugnari” (ib., pag. 76, 11). Nota quomodo instat explicitis verbis in eo quod debet esse operatio, quae sit vitae periculosa, et non admittitur ad impotentiam perpetuam declarandam magnam molestiam vel incommodum, quod actrix subire debuisset ad interventui medico sese subjiciendam, sed ne quidem impossibilitas interventus in illis locis.

Liquet igitur Sacram Romanam Rotam et raro —sexies ab anno 1909 ad 1942— adhibere loquutionem *absque corporali periculo* et illi tribuere significationem *absque vitae periculo*. Praeterea ex dictis de hac quaestione iterum patefit Sacram Romanam Rotam, quando ampliori calamo et ex

professo agit utrum requiratur discrimen vitae ad declarandam impotentiam perpetuam, hujuscemodi periculum requirere.

10. Paucis igitur verbis comprehendentibus ea, quae tantum innuere potuimus, haec nobis liceat statuere:

1) Sacram Romanam Rotam *fere semper explicitis verbis* exigere ad declarandam impotentiam perpetuam ut agatur de vitio, quod *absque vitae periculo* consanescere nequeat;

2) *semper ac ampliore sermone et ex professo* hanc quaestionem de perpetuitate agit, *explicitis ac expressis verbis* eam exigere defectum insanabilem sine vitae periculo;

3) eam quandoque uti loquutione *absque corporali periculo*; hanc autem loquutionem juxta eam aequipollere loquutioni: *absque vitae periculo*.

4) Sacram Romanam Rotam loquutione quoque: *absque gravi damno salutis* vel aequipollenti significare ad summum gravem morbum, qui secumfert periculum vitae, praeterquamquod rarissime ac per transennam hac loquutione utitur atque una alterave decisione aliud obiter asserente—dato sed non concessio quod ita res sese habeat— jurisprudentiam non mutari.

Quibus omnibus bene perpensis, nullo dubio juxta jurisprudentiam Sacrae Romanae Rotae exigi ad admittendam impotentiam perpetuam ut agatur de vitio, quod *absque vitae periculo* licitis mediis sanari nequeat, liquet; secus, impotentiam, esse temporaneam ideoque non nocere contractus matrimonialis validitati dicendum. Nec videtur post annum 1942 hanc jurisprudentiam Sacrae Romanae Rotae mutationem subiisse, cum in sententiis post hunc annum pronuntiatas, quae prae manibus haberi potuimus, exigatur vitium quod removeri nequeat absque vitae discrimine. Itaque in una coram Wynen (18-XII-1948) legimus: “Quodsi vero talis defectus operatione chirurgica *absque vitae periculo* tolli potest...”

11. Inter defectus qui mulierem impotentem reddunt, passim ab Auctoribus vaginismus adnumeratur. In vaginismo autem distinguere oportet utrum agatur de *mero* vaginismo psychico absque ullo fundamento anatomico an habeat ortum in aliquo vitio anatomico seu organico, v. gr., nimia arctitudo vaginae, inflammatio continua et insanabilis muliebrium vel in quadam infirmitate mentali insanabili, necessario connexa cum illa hyperestesia, quae omnem penetrationem muliebrium prohibet.

Sacra Romana Rota, semper ac agitur de vaginismo, instat in maxima difficultate probandi perpetuitatem impotentiae ex eo ortae. Nam persuasiones, suggestiones, anxietates, depressiones nervorum aliaque operatio-

nes vis imaginativae vel sensitivae, in quibus fundatur impotentia functionalis decursu temporis, mutatis adjunctis, cedere possunt ac nemo potest praevvedere vicissitudines harum idearum. Itaque Sacra Romana Rota ab anno 1909 ad 1942 numquam admisit constare de nullitate matrimonii ex capite impotentiae ob *merum* vaginismum, quamvis periti tenerent agi de vaginismo perpetuo ac insanabili, sed tantum *semel ob vaginismum*, qui nitebatur vitio anatomico (Cfr. 31 (1939), 50 coram Grazioli, 508-509. 22), ubi haec inter alia legimus: "At, si agatur *de mero vaginismo* dubium fortasse moveri posset de ejus perpetuitate... Sed difficultas superatur ex eo quod idem medicus N... *haud merum* vaginismum admittit sed *etiam et praecipue alterationes anatomicas*, quibus quidem tribuit id quod: "l'impotenza coeundi e generandi della signora Maria debba ritenersi perpetua" (6). Et in eadem causa, quae passim instat in causis anatomicis, paulo antea dicitur: "Ceterum ex aliis quoque locis praefatae peritiae clarissime desumitur peritum N. de vaginismo egisse tamquam de *concausa*, minime autem de causa *unica* impotentiae" (ib., pag. 504, n. 16).

Nam ut edicit Rota in una coram Julliem (33 (1941), 57, 615, 6): "Perpetua autem ne expedite dicatur impotentia functionalis; nam mutatis personarum temporisve adjunctis, remediisque adhibitis physicis morabilibusque, haud inauditum est rem in melius cessisse. Non raro igitur iudicium prudens pendet a futuro: in praesenti autem impotentia saltem quoad ejus perpetuitatem solummodo probabilis videtur, sed probabilitati praevallet juris praesumptio pro matrimonii valore".

Audire quoque juvat peritum doct. P., qui, loquens de casu concreto nobis expresse tradit quid sentiendum in genere de mero vaginismo. En ejus verba: "Non si può affermare che questa impotenza sia anteriore e sia perpetua perché *come tutte le impotenze nervose e funzionali*, in cui lo sviluppo anatomico degli organi della copula può essere completamente normale... può cessare con mutate condizioni del sistema nervoso e psichico" (33 (1941), 57, 615, 6) (7).

Certum est haud paucos medicos loqui de vaginismo, ut causa impotentiae perpetuae, sed eorum dicta cum grano salis sunt accipienda quia vel non loquuntur de *mero* vaginismo vel non penitus carpiunt concepturam impotentiae canonicae, sufficientis ad declarandam nullitatem matrimonii vel non considerant debere esse perpetuam et antecedentem *absque ullo dubio prudenti* nec sufficere vel maximam probabilitatem.

(6) "... impotentia coeundi et generandi Mariae debeat considerari perpetua."

(7) "Nequit affirmari antecedentem ac perpetuam hanc impotentiam esse, quia, sicut omnis impotentia nervosa et functionalis, in qua evolutio anathomica organorum copulae potest esse omnino regularis, mutatis adjunctis systematis nervosi et psychici cessare potest."

IN FACTO

12. Actrix ab omnibus testibus "molto religiosa e di ottimi costumi, veritiera, incapace di mentire e di spergiurare" (8) inducitur. Tamen haec notare iuvat:

a) Potius quam fidendum declarationibus testium in hac re, eruendum ex toto complexu causae quid sentiendum de actricis credibilitate;

b) in describendis doloribus, quos patiebatur in actus conjugalis tentaminibus, actricem aliquatenus exaggeratam sese exhibere, ut accidit fere semper ac agitur de doloribus propriis describendis, praesertim, cum ex ipsorum narratione pendeat aliquid quod valde optamus. Proinde, quamvis non eam inducamus perjurantem ac plene falsum declarantem, difficultates coitus exaggerare dicendum;

c) in exponenda causa petendi declarationem nullitatis sui matrimonii non apparere sinceram actricem. Nam ipsa ait: "Lo scopo per cui muovo la presente causa é economico e sociale. Ho bisogno di guadagnar mi il pane e cerco qualche posto di istitutrice o direttrice di casa; ma la mia posizione sociale di donna divisa dal marito mi crea gravissima difficoltà..." (9). Jamvero vulgus saepe saepius non magni facit utrum agatur de simplici separatione an dissolutione vinculi; in sua aestimatione plus minusve idem amittitur dissolutione vinculi ac separatione. Praeterea Pia post assecutam declarationem nullitatis minime navavit officiis, quae in libello et sua depositione innuit, sed novas nuptias immediate contrahere voluit et quidem *magna solertia ac calliditate* egit postulans prius a S. Congregatione licentiam ad ducendam "persona che l'avrebbe presa in moglie come compagna e sorella" (10) et dein, denegata licentia, adens medicum, qui eam sanavit;

d) in priore causa ex capite vis et metus nihil de suis doloribus in conatibus actus conjugalis dixisse, quamvis ab ipsa quaesitum sit utrum consummarint matrimonium. "Io fui interrogata—inquit—soltanto se il matrimonio era stato consummato o no, ed io avevo risposto che il marito aveva cercato di avvicinarsi... ma non mi sono spiegata di piú..." (11).

(8) "Religiosissima et optimis moribus ornata, verax, mentendi incapax ac perjurandi."

(9) "Motivum quo ducor ad agitandam litem hanc est oeconomicum et sociale. Laborare cogor ad vicium necessarium habendum ideoque quaero officium institutricis seu directricis altius domus; sed ex conditione mea sociali mulieris a viro separatae gravissimae difficultates oriuntur".

(10) Ut supra.

(11) "A me quaesierunt tantum utrum matrimonium consummatum fuerit necne, et ego respondi maritum tentasse conjunctionem carnalem..., sed ampliores explicationes non dedi..."

Ex quibus omnibus non dicam negandam esse ei omnem credibilitatem, sed utique valde imminui ejus attendibilitatem.

13. His breviter praelibatis de actricis credibilitate, audiamus ipsam nobis de suis relationibus conjugalibus cum Michaele loquentem. “Quando —ait— il marito tentó l’atto conjugale non riuscì a possedermi completamente, perché, immediatamente fui presa da dolori, da crampi, da restringimenti che si opposero all’atto conjugale. L’impedimento dunque risultava da parte mia e si manifestava con spasmodiche contrazioni” (12).

Quae quidem hoc pacto ab altero conjugue confirmantur: “Dopo il matrimonio si fece il viaggio di nozze... Quando dopo questo periodo d’astensione (due mesi) m’avvicinai a lei per compiere l’atto conjugale essa mi fece da prima delle difficoltà per evitare il rapporto e avendo io usato un po’ di violenza ella prese a strillare e dimenarsi respingendomi con le mani per i dolori che diceva di soffrire. Di conseguenza io fui costretto a ritirarmi senza aver punto consummato l’atto. Dovetti convincermi che non era il caso di poter penetrare” (13).

Itaque conjugues unanimiter asserunt non potuisse matrimonium *plene* consummare ob dolores quos experiebatur uxor.

14. Testes quoque concordantes sunt in asserendo ipsos audivisse paulo post matrimonium de impossibilitate perficiendi actum matrimoniale. Quidam ex his scilicet Sylvius, Maria, Sylvia, Antonius, Aemilius commendantur, ut honesti et fide digni ex testimonio suorum parochorum cumque aliunde non adsit solida ratio dubitandi de eorum credibilitate, eorum testimonium admittere possumus.

Periti etiam confirmant supra relata his verbis: “L’esplorazione —testatur doctor Macarius— col dito riesce dolorosa e si accentua specialmente quando il dito passa l’introito e giunge alla mucosa del muso di tinca ed ai fornicì vaginali. Tutti i muscoli perineali, superficiali e profondi ad ogni movimento del dito esploratore si contraggono rimanendo in una contrazione spastica.

Risulta... chiaramente dall’esame un disturbo funzionale dell’apparato genitale che si manifesta in una iperestesia dolorifica dell’introito vagin-

(12) “Quando maritus tentavit actum conjugalem non est assecutus me plene possidere, quia statim doloribus laborare incepti, spasms (calambre), nervorum contractionibus, quae obstiterunt actui matrimoniali. Impedimentum igitur erat ex parte mea et ostendebatur contractionibus ad spasmus pertinentibus.”

(13) “Post matrimonium iter nuptiarum arripimus... Quando post hanc abstinentiae periodum (duos menses) accessi ad eam actus conjugalis implendi causa, ipsa inceptit difficultates praebere ad vitandam relationem et cum ego uterer aliqua violentia, ea inceptit clamare et sese agitari me rejiciens manibus propter dolores, quibus dicebat se laborare. Propterea ego sum coactus ad recedendum quin omnino actum consummarem. Persuasum habere debui penetrationem esse impossibilem.”

le estendendosi su tutta la vagina fino ai fornici, comprendendo anche il muso di tinca. Per riflesso si contraggono spasmodicamente tutti i muscoli del perineo, sia superficiali che profondi, provocando quella sensazione dolorifica, che porta alla paziente a quella repulsione per i rapporti sessuali. La signora é affetta di vaginismo totale..." (14). Alii duo periti plus minusve eadem deponunt.

Ex supra expositis prima fronte videtur probari impotentiam Piae ad copulam matrimonialem ac ita censuerunt Patres duorum Tribunalium priorum. Rem autem penitius considerare juvat.

15. In suplici libello, in conjugum depositionibus ac in peritorum attestationibus fere semper ac loquitur de inconsummatione matrimonii additur: "il marito non potè penetrare *fino in fondo*"; "questi rapporti (sessuali) furono pochissimi e mai *completi*... non potè mai consummare *completamente*... no riuscì a possedermi *completamente*... senza che sia avvenuta una immissio penis *effettiva e completa*... (defectus) che impedisce un *regolare* atto sessuale" (15).

Praetera hymen fractum est et quidem in actu conjugali: "si ebbe lacerazione dell'imene... ebbi solo la perdita di qualche goccia di sangue dovuta alla rottura dell'imene" (16) testatur actrix et alibi addit: "ammetta la *penetrazione* necessaria e sufficiente per lacerare l'imene... la deflorazione avviene solo per opera del marito" (17). Quae quidem patefiunt aliquam penetrationem adfuisse. Idem concludi liquet ex eo quod membrum virile haud semel "captivum" permansit in vagina. "Al primo tentativo —ait maritus— provai una stretta che me cagionò dolore. Un tanto si verificò anche negli ulteriori tentativi. Il mio organo maschile veniva stretto come in una morsa tenace..." (18).

(14) "Examen mediante digito est dolore affectum, qui crescit speciatim cum digito superat ingressum et pervenit ad mucosam rostri tincae (mucosa del hocico de tinca) aut fornicium vaginalium (bóvedas vaginales)... Omnes muscoli perineales, superficiales et profundi, omni motu digiti explorantis contrahuntur, manentes in contractione ad spasmum pertinentes... Apparet evidenter ex examine quaedam perturbatio functionalis apparatus genitalis, quae scise ostendit in quadam hiperestesia acerba ingressus vaginalis sese extendens in omnem vaginam usque ad fornices amplectensque rostrum tincae. Ex consequenti (reflejo) contrahuntur modo ad spasmum pertinente omnes toros perinei et superficiales et profundos, causando illum sensum acerbum, qui est fons illius patientis repugnantiae erga relationes sexuales. Laborat vaginismo totali..."

(15) "Maritus non potuit penetrare usque ad imum... relationes (sexuales) fuerunt rarissimae et numquam plene... numquam potuit plene consummare... non potuit me plene possidere... quin esset immissio penis effectiva et plena... (defectus), qui impedit *regularem* actum sexuale..."

(16) "... locum habuit hymenis fractio... habuit tantum ammissionem alicujus guttae sanguinis propter hymenis fractionem."

(17) "... recognosco adfuisse penetrationem necessariam ac sufficientem ad hymenem frangendum... defloratio accidit ope mariti..."

(18) "In priore conatu passus sum quandam constrictionem, quae dolore me affectit. Aliquid hujusmodi accidit etiam in aliis tentaminibus. Meum organum virile constringebatur velut in morsu tenaci."

Quibus ex verbis et praesertim ex explicacione casus pennis captivi, quam tradit ginecologus maximae notae Aloysius Mangiagalli apparet penetrationem adfuisse in casu. En ea quae habet laudatus ginecologus: "Il vaginismo inferiore ostacola e rende impossibile il coito, mentre il vaginismo superiore, manifestandosi anche nel corso del coito o alla fine di questo, può produrre quel singolare fatto conosciuto col nome di *pennis captivus*... *il pene* nella sua prigionia, *trovasi contenuto in vagina* e il glande trattenuto a forza *nella profondità di essa*..." (19).

Jamvero quis auderet certo dicere hanc saltem aliqualem penetrationem fuisse ita minimam ut non sufficeret ad consummandum matrimonium, cum ex doctrina et jurisprudentia sufficiat quaelibet penetratio, dummodo semen deponatur non ad ostium, sed in vagina, quamvis prope ostium?

Posset quis dicere hanc aliqualem penetrationem obtentam fuisse cum maxima difficultate ac dolore ac "pennem captivum" permansisse; copulam autem hoc pacto perfectam non posse dici naturali modo peractam et in his adjunctis ejaculationem esse impossibilem. Sed in mentem revoca illa, quae dicimus in jure. Ibi vestigiis inhaerendo Sacrae Romanae Rotae, S. Officii doctrinaeque statuimus hanc penetrationem aliqualem non sufficere tantum si foret illa cum vitae periculo. At in nostro casu adfuisse illam difficultatem cum vitae discrimine minime probatur. Utique uxor et periti loquuntur de magnis doloribus; sed non de periculo vitae; insuper jam diximus Piae attendibilitatem in enarrandis suis doloribus non esse plenam sed magis sese exhibere exaggeratam atque peritos eam examini subjecerunt post multos annos et in hoc examine facile quis magnam molestiam pati, quamvis reapse non sit tanta, simulare potest. Ideo, probata aliquali penetratione, difficile probatu est illam tales molestias ac periculum vitae secumtulisse ut impotentia adesse dici queat. Ne quidem certo probari potest in *omnibus* casibus, in quibus copula perficitur his in adjunctis, impossibilem esse saltem seminationem partialem; e contra, probata penetratione, praesumitur seminatio.

Quae omnia, si vis, non valent gignere certitudinem moralem de possibilitate penetrationis sufficientis ad excludendam impotentiam sed utique *excludunt certitudinem moralem de impossibilitate penetrationis*, quae postrema certitudo requiritur ut iudices impotentiam admittere queant, i. e.,

(19) LUIGI MANGIALLI: *Tratatto di ginecologia*, parte I (Milano, 1930), p. 425: "Vaginismus inferior difficilem ac impossibilem reddit coitum; e contra vaginismus superior, locum habens etiam dum coitus peragitur aut in fine ipsius, potest producere illud singulare factum, notum nomine *pennis captivi*... pennis in sua captivitate, *invenitur in vagina* et glandis captus vi in profunditate illius."

sufficiunt supra exposita ad dubium prudens de possibili copula in animum judicium illabendum. Jamvero in dubio standum est pro valore matrimonii.

16. Praeterea unus ex peritis asserit: "Ritengo che il coito normale anche congiunto a forti dolori non é stato possibile e non è possibile sulla paziente in *stato di perfetta coscienza* (compos sui). In questa donna essendo il vizio esclusivamente funzionale *si può ammettere il coito* con un uomo; pero in *stato di completa incoscienza* della donna (svenimento determinato dai dolori)" (20). Nunc age; ut in jure exposuimus, non requiritur ad consummandum matrimonium ideoque ad potentem quem inducendum ut penetratio eveniat "in stato di perfetta coscienza (compos sui)", sed sufficit ut adsit penetratio, quamvis media usum rationis actu intercipienda adhibita sint ad illam obtinendam.

17. Multo minus probantur antecedentia et perpetuitas proclamatae impotentiae. Nam agitur de vaginismo psychico, absque fundamento anatomico, qui exurgere potest ex violentia adhibita in primo conatu actus matrimonialis et disparere quoque potest tractu temporis, mutatis adjunctis. Saepe saepius audivimus de repugnantia uxoris erga virum ex ejus brutalitate in priore actu conjugali. Probabiliter si alio pacto scilicet, cautela et circumspectione, quae naturaliter desiderantur, tentasset matrimonium consummare, vir illum perfecisset. Minime constat hoc in casu de impotentia antecedenti, matrimonium irritante.

Nec desunt argumenta ad dicendum nostro in casu hoc evenisse. Vir enim per circa duos menses indifferentem se praebuit erga uxorem; immo eam contempsit et contumeliis affecit. "Siamo partiti —ait uxor— per il viaggio di nozze ed all'albergo abbiamo prese due stanze, perchè mio marito cominciò subito a litigare durante il viaggio, perchè egli diceva... Il viaggio durò circa dieci giorni, ma dormivamo sempre in stanze separate. Tornando a casa c'era pronta la camera nuziale, ma per due mesi mio marito, pur dormendo con me, non mi guardava nemmeno, e mi voltava le spalle, e questo non ostante che io cercassi di usare con lui tutte le premure e mi lamentassi di essere trattata da lui peggio che una servente. Egli mi rispondeva sempre: ai avuto quello che ai voluto. Lo sai che non volevo sposarti" (21).

(20) "Aestimo coitum regularem etiam conjunctum cum magnis doloribus non fuisse possibilem neque esse in patiente in statu perfectae conscientiae (compos sui). Hac in muliere, cum vitium sit tantum functionale, admitti potest coitus cum homine sed in statu plenae inconscientiae mulieris (ammisto sensuum determinata doloribus)."

(21) "Cum nuptiarum iter faciebamus, duo habitacula in diversorio locavimus, quia maritus statim durante itinere rixas movere incoepit; ipse enim ajebat... Iter per decem dies protractum est, sed cubabamus in habitaculis distinctis. Redientes ad lares, invenimus paratum habitaculum."

Immo prior conatus consummandi matrimonium inter litigia habuit locum. "Dopo una discussione —testatur actrix— (avvenuta mentre eravamo coricati) perché mi lamentavo d'essere da lui trascurata, egli mi prese, e senza che io pensassi all'eventualità di un atto coniugale, egli tentò di compierlo" (22). Luce meridiana clarius apparet in illis adjunctis, scilicet, post discussionem jam cubantes habitam ex derelictione mariti erga uxorem ideoque haec nervis capta, ex inopinato tentare primum actum matrimoniale imprudens esse et causam sufficientem ut organismus uxoris resisteret actui coniugali tunc et in posterum.

Praetera maritus violentia usus est. "Il marito —ait doctor Macarius— cercò di possederla *violentamente*, senza rendersi conto della *inopportuna brutalità sessuale*. Dopo diversi alterchi durati un mese e mezzo egli infine tentò *quasi con rabbia* di consummare. Questo periodo precedente fu per la moglie di amarezza, angoscia e tortura, anche temendo di non essere adatta al coito. La *prima unione sessuale* fu per la peritanda *una dissilusione e fu la causa di immediato disgusto ed allontanamento...*" (23).

Jamvero quanti habendus est relate ad proclamatam impossibilitatem consummandi matrimonium hic modus sese gerendi mariti in priore actu matrimoniali apparet ex supra dictis et praesertim ex iis, quae scribit doctor Renatus qui interventui chirurgico Piae reddenti potentiam subjecit. "Dai rilievi anamnestici —narrat— sembra che la signora abbia sofferto un *trauma psichico* notevole la prima notte quando il marito ebbe ad avvicinarla non avendo esso allora, a quanto pare, usato quel tatto e quella delicatezza che sono tanto necessarie per lo svolgersi favorevole e naturale degli eventi... *Per questo* ho pensato anche che pure il vaginismo della signora Pia sia un vaginismo *relativo solo al marito...*" (24).

nuptiale; sed per duos menses maritus meus, etsi mecum cubaret, nequidem vultum ad me revertebat, sed mihi tergum offerebat quamvis ego conarer eum afficere omnibus instantis et me quererer quod ipse me tractaret modo pejore ac ancillam. Ipse mihi respondebat: "habuisti illud quod desiderabas; bene scis me te ducere noluisse."

(22) "Post quandam rixam (quae locum habuit cum cubabamus) quia me querebar quod essem ab ipso neglecta, ipse me apprehendit et quin ego cogitarem in possibilitate actus conjugalis, ipse eum complere contendit."

(23) "Maritus tentavit eam possidere violenter quin adverteret intempestivam brutalitatem sexualem. Post diversas rixas per mensem cum dimidio protractas, ipse tandem tentavit quastabile affectus consummare... Haec periodus praecedens fuit uxori plena amaritudine, angustia, cruciatu, timentis quoque ne foret idonea ad copulam. Prima relatio sexualis fuit peritandae deceptio, fuitque causa immediati fastidii et separationis..."

(24) "Ex observationibus anamnesticis, mihi videtur domina passa esse trauma psychicum notabile prima nocte cum maritus accessit ad eam quin tunc uteretur, ut apparet, illo tactu et illa suavitate, quae tam necessariae sunt ad evolutionem favorabilem et naturalem eventuum... Propter quod cogitavi etiam vaginismum dominae piae esse vaginismum relativum tantum ad maritum."

Uxor igitur talem "trauma psychico" expertus est talemque timorem erga actum matrimonialem suscepit ex modo sese gerendi aspero et belluino mariti in priore actu, ut in posterum sola revocatione copulae angustiis et capitis dolore afficeretur. Itaque testatur doctor Macarius: "Un cosi disastroso inizio rese naturalmente la donna schiva di succesivi rapporti sessuali..." (25), et actrix refert: "Dopo la prima disillusione io tremavo al *solo pensiero* che egli volesse avvicinarsi pel debito coniugale. *Solo l'idea* di un tentativo da parte del marito mi provocava dolori al capo ed allo stomaco" (26).

Nunc age: fundamentum unicum, quo nituntur periti ad asserendam antecedentiam incapacitatis est quod prior conatus infelicem successum habuerit. "Che tali disturbi —inquit Macarius— di vaginismo siano stati antecedenti... lo dimostra il fatto che si manifestarono immediatamente nell'atto medesimo in cui venne consummato il matrimonio" (27). Non videtur argumentum excludens omne dubium prudens, cum ille conatus in adjunctis valde peculiaribus et more belluino, non naturali, locum habuisset. Quibus adjunctis ipsi periti magnum momentum tribuunt ad explicandam repugnantiam Piae erga copulam, ut apparet ex testimoniis supra relatis ideoque cur non his adjunctis tribuere possumus impossibilitatem copulam perficiendi potius quam impotentiae praexistenti, cum fere omnes uxores in illis adjunctis respuissent virum et medicus Renuus nobis asserat Piam expertam fuisse in priore conatu matrimoniali "trauma psychico", quia maritus non habuit "quel tatto e quella delicatezza che..." et inde ortum esse "un vaginismo relativo solo al marito"? Igitur non probatur *certo* merus vaginismus Piae matrimonio praecessisse, cum non necessario adscribenda sit causae antecedenti matrimonio sed probabilius modo bruto, non naturali, quo egit vir in tentaminibus consummandi matrimonium.

18. Periti prioris et alterae instantiae absque ullo dubio agi in casu de vaginismo perpetuo proclamant. Attamen iudex eorum conclusiones non inconsulte admittat sed eas rite hinc inde rimare debet. (Cfr. canon 1.804.)

Atque primam difficultatem, quae exurgit contra assertam indubiam perpetuitatem est quod agitur de *mero* vaginismo, absque fundamento

(25) "Initium tam infelix reddidit naturaliter uxorem repugnantem succesivis relationibus sexualibus".

(26) "Post primam deceptionem ego tremabam tantum cogitans ipsum accessurum fore de fecti coniugalis gratia. Tantum cogitatio tentaminis ex parte mariti me afficiebat doloribus capitis et stomachi."

(27) "Tales alterationem vaginismi esse antecedentes... apparet ex eo quod sese manifestarunt statim in ipso actu quo matrimonium est consummatum."

anatomico, cum organa genitalia tum interna tum externa perfecta esse una voce omnes periti, qui eam inviserunt proclamant. En testimonium unius ex his peritis: "L'esame ginecologicò dimostra che non esistono a carico della paziente né anomalie né alterazioni *anatomiche*...", ait doctor Macarius (28). Cui plene consonat peritus Guiscardus enarrans: "che l'organo genitale della signora... é *anatomicamente perfetto*" (29). Immo explicitis verbis dicunt agi de mero vaginismo psychico. "Risulta —inquit Macarius— chiaramente dall'èsame un disturbo *essenzialmente funzionale a base neurotica*" et alius: "il vizio esclusivamente funzionale" (30). Certum est prior peritus loqui de "orifizio vaginale strettissimo". Tamen nullum momentum huic arctitudini relate ad vaginismum adscribunt; nullam relationem cum illo innuunt. Videntur ipsi significare his verbis Piam paucos contactus matrimoniales habuisse aut nullum partum, ut ait peritus Gaspar, qui refert: "Questo (genitale) risulta anatomicamente *normale* con i caratteri della *nulliparità*..." (31).

Constat quoque ex depositione actricis aliorumque testium illam habuisse: "una fanciulleza piuttosto malatticia ed una costituzione debole con anemia accentuata" (32), ut testatur doctor Macarius referens audita ab actrice. Et sequitur: "La signora Pia si menstruò a circa 16 anni scarsamente e con grande dolore e con difficoltà. In seguito le menstruazioni si susseguirono anche dopo il matrimonio in modo assai irregolare quasi sempre con dolori..." (33). Et addit, semper referens ea, quae audivit ab actrice: "Essa fu sempre di carattere nervoso, d'umore variabile e di temperamento irrequieto ed impressionabile" (34). Omnia haec confirmantur tum a testibus tum a matre actricis. Tamen haec non constituunt infirmitatem seu vitium insanabile sive anatomicum sive mentale, quod connectionem necessariam cum vaginismo habeat ita ut eum adjuvet vel causa ipsius sint, nec periti ipsi ullum momentum sub respectu vaginismi tribuunt et multo minus ea ut causa vaginismi praedicant.

(28) "Examen ginecologicum ostendit non esse in patiente anomalias nec anatomicas alterationes..."

(29) "Organum genitale dominae-Piae esse anatomicè perfectum."

(30) "Apparet autem ex examine evidenter quaedam alteratio functionalis... Ille status morbosus naturae essentialiter functionalis cum fundamento neurotico..." "vitium tantum functionale".

(31) "Haec (genitalia) apparent anatomicè regularia cum caracteribus nullius partus."

(32) "Adulescentia potius valetudinaria (enfermiza) et constitutio debilis cum anemia notabilis."

(33) "Pia menstruationem habuit decimum sextum plus minusve, annum agens parcam cum magno dolore et difficultate. Postea menstruationes sequutae sunt etiam post matrimonium modo satis irregulari... fere semper cum doloribus..."

(34) "Ipsa fuit semper indole nervosa, humore varia, et temperamento inquieta et impressionabilis."

Itaque agi de mero vaginismo, qui tantum pendet ab autosuggestione et anxietatibus actricis liquet. Quod confirmatur ex eo quod, ut ipsa actrix testatur, tantum repraesentatio et in mentem revocatio actus conjugalis ipsi dolores capitis et stomachi causat, ut supra vidimus. Quis autem auderet asserere has preoccupaciones et anxietates paulatim, mediante arte psychiatrica aut naturaliter, non posse reformare, cum non exstet ulla infirmitas mentalis insanabilis? Reapse periti, qui testantur primo momento non potuisse ullo modo digitorum introducere in vaginam ad organorum internorum examen, referunt: "con alquanta pazienza, con parole di assicurazione... il polpastrello del dito esploratore progredisce in profondità ed arrivato alla porzione vaginale dell'utero ed al fornice vaginale..." (35). Certum est hanc penetrationem obtinuisse mediante aliquali vi et tantum unius digiti sed animadvertit progressum inter primum momentum, quo quaelibet penetratio prohibebatur et alterum post verba assicuracionis, in quo pervenit usque ad ima. Itaque nequit excludi absque dubio possibilitatem aliqualis saltem virgae virilis penetratio in futuro, quia amor erga maritum ipsam magis docilem ac securam quam verba medici reddere potest.

19. Denique interventu chirurgico paulo post dissolutionem vinculi, ut constat ex scripta medici Renati attestacione, Pia capacitatem ad copulam adquisivit.

Nec dicas operationem, quam actrix est experta, fuisse cum periculo mortis. Nam generatim loquendo, ut ait laudatus ginecologus Mangiagalli: "La scissione dell'imene o dei suoi resti nonchè del segmento interposto fra questi, non risparmiando la commessura uretrale dà splendidi risultati..." (36) et minime in integra enarracione hujus interventus chirurgici nominat periculum vitae. Jamvero interventus chirurgici, cui Renatus subjecit Piam, ad summum reducitur ad operationem a Mangiagalli descriptam.

Praesertim vero, considerando casum concretum, prae oculis habe illa, quae testatur medicus Renuatus, auctor interventus chirurgici. "Osservai —ait— alla signora che con una operazione di certa entità e di gran delicatezza si sarebbe potuto tentare di ottenere l'effetto da essa desiderato" (37). Ne verbum quidem de periculo mortis nec vitae. Tantum lo-

(35) "Alquali patientia, verbis tranquillitatem afferentibus, gemma digiti explorantis progreditur in limum et cum pervenit ad partem vaginalem uteri et ad fornicem vaginalem..."

(36) "Scissio hymenis ejusque residuorum ac etiam segmenti interpositi inter ea, sese extendens quoque ad unionem uretralem, optimum succesum obtinet."

(37) "Monui dominam Piam mediante operatione cuiusdam momenti et magnae circumspectionis posse tentare consecutionem effectus ab ipsa optati."

quitur de "operazione di certa entità e di gran delicatezza". Minime dice potest haec verba innuere Piam periculum vitae subiisse, cum sciamus quid sibi velint in ore medicorum verba di "certa entità" et quomodo momentum operationis extollere soleant ad sese deffendendum in casu succesus infelicis et famam acquirendam in casu exitus felicitis. Quod quidem in casu clarissime apparet ex verbis supra relatis dot. Mangiagalli.

Proinde ex hix, quae in actis prostant, concludi liquet incapacitatem Piae ad copulam sublatam fuisse interventu chirurgico absque vitae discrimine, dato sed non concesso quod prius exstiterit veram impotentiam ad copulam canonice perfectam. Bene attendas tamen nos minime arguere temporaneitatem impedimenti ex eo quod Pia incolumis evasit ex interventu chirurgico sed ex eo quod ille defectus tolli valuit absque probabili vitae periculo. "Si enim —ut ait Sanchez— constet revera mortis periculum subiisse, quamvis illa incolumis evaserit, fuit irritum matrimonium et utriusque conjugii liberum erit ad alias nuptias transire vel priores denuo ratificare". (*De matrim.*, lib. VII, disp. 93, n. 20.) Ideo non pendet validitas matrimonii ex succesu felici vel infelici operationis sed ex existentia vel minus periculi mortis in illa subeunda.

20. Ad modum coronidis, cui calculum adjicere vellet ex dictis in numero priore, *mero* vaginismo, cujus demonstrationi prius navavi, breviter respondendum oporteri censeo:

a) ut excludatur *merus* vaginismus, ut supra diximus, debere adesse vitium anathomicum *necessario* connexum cum vaginismo.

b) in casu non demonstrari nexum necessarium adfuisse vaginismus inter et residuos hymenis, operatione chirurgica sublatis. Nam omnes periti, non excluso Renato, asserunt una voce, ut supra vidimus, vaginismus Piae esse *exclusive* functionalem et nullus in suis peritiis nobis loquitur de residuis hymenis fracti ut *causa* vaginismi; immo ne quidem mentionem de illis faciunt.

Proinde ego dicerem interventum chirurgicum fuisse tantum ad *faciliorem* reddendam penetrationem, non autem fuisse medium *necessarium* et praesertim habuisse potius effectum psychicum quam anathomicum, i. e., non disparuisse vaginismus ex eo quod sublatus est defectus anathomicus, in quo nitebatur, sed ex eo quod Piam *certam* reddidit de sua potentia ad copulam et ejus muliebria assuefacta sunt ad contactum alterius corporis. Quae quidem methodus saepe saepius, ut audivi a ginecologo quodam, adhibetur ad obtinendam hanc assuefactionem.

Maxime autem apparet abfuisse hunc nexum necessarium inter vaginismum Piae et defectum sublatum interventu chirurgico ex iis, quae testatur ipse Renuus. "Ho pensato —ait— anche che... il vaginismo della signora Pia sia... curabile *operativamente* che *cambiando il conjuge*" (38). Duo igitur praebentur media ad medendum vaginismo Piae et quidem unum ex his mutatio mariti *absque interventu chirurgico*. Ergo luce meridiana clarius apparet hunc non fuisse necessarium nec vitium illo solum necessario esse connexum cum vaginismo Piae.

Quibus omnibus in jure et in facto perpensis, non constare de matrimonii nullitate censemus.

JOSÉ DE SALAZAR ABRISQUIETA, Pbro.

(38) Ut supra.